

oculis nostris eam semper quasi observari, & animis nostris quàm altissimè infigi Deus salutis nostræ cupientissimus voluit: atq; adeo non modò Verbis, sed sacris etiam Symbolis, quoniam sumptione ipsius pro nobis in mortem traditi Corporis & effusi Sangvinis, recordationem quàm ma- [a2 v] ximè seriam tum excitari tum foveri. Negari autem non potest, si Evangelicorum Scriptorum Narrationes in Unam redigantur; (quod Altero post natum Servatorem Seculo primus conatus est Tatianus, Opúsque ipsum Τὸ διὰ Τεσσάρων appellavit,)^a plurimum lucis toti illi sanctissimæ nobisq; semper meditandæ Historiæ accedere. Sed ne hoc quidem negari potest, rem istam difficultatibus interdum implicari, quas expedire non sit semper in proclivi.¹

Quoniam his ipsis animadversis exstimulare Deus voluisse videtur, ut non modò legamus, sed, dum hæremus, iterum atq; iterum relegamus. Nulla enim magis pia & nobismet ipsis magis salutaris præstari potest opera, quàm quæ hisce cognoscendis & meditandis impenditur. Quòd si autem in exponendis Locorum Temporumque circumstantiis, ut aliquando contingit, ambigimus, & ignorantiam fateri in- [a3 r] terdum cogimur, quid censendum est fore, si ad scrutandum Mysteriorum modum & intimiorem rationem audaces animos admoverimus? verbi gratiâ: Si non sufficiat nobis nosse & credere, quòd Pater ab æterno Filium genuerit, sed adlaboremus scire, quomodo genuerit. Pariter si non sufficiat nobis, Filium incarnatum novisse, sed abstrusissima quæq; Mysteriorum tanti & humanum captum longè excedentis rimemur. Nec acquiescamus verbis Domini, Corpus suum in Sanctâ Eucharistiâ manducandum, & Sangvinem bibendum nobis præberi, affirmantis, nisi modum, quo id fiat, penitus intropexerimus. Quoniam in circumstantiis Locorum Temporumque; enodandis difficultates, quas diximus, ideo fortè incurrimus, ut ab alteris illis, nimium quanto sublimioribus & abstrusioribus, temerariò ausu invadendis deterreamur. Si ergò, ut Irenæus loquitur^b, *quædam quæstio- [a3 v] num Deo commiserimus, & fidem nostram servabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data consonans nobis invenietur, & parabola sive obscura, his quæ manifestè dicta sunt, consonabunt, & manifestè dicta absolvent, sive exponent parabolas.*² Nam, ut rectè Hilarius^c, *non per difficiles nos Deus Quæstiones ad beatam vitam vocat.*³ Quòd autem usque superioribus proximis Seculis progressus fuerit pruritus de Quæstionibus non minùs inutilibus quàm ineluctabilibus certandi, testantur eorum non modò Temporum Historiæ, sed quàm plurima inde ad nos usque transmissa Scripta. Ut, de Quæstionibus circa Passionem Domini, de quâ nunc potissimum agimus, motis Exemplum proferam, quærebatur ante sesquiseculum & quod excurrit, num Sangvis in Passione profusus manserit unicus Deitati? Et quum Servator beatissimæ Matri suæ dixerit de Johanne Apostolo, *Ecce Filius tuus*; [a4 r] Et huic de illâ; *Ecce Mater tua*: inde nata fuit Quæstio, Qualis esset Johannis ad Virginem θεοτόκου filiatio?^d Utramque peculiari Scripto prosequutus fuit Dominicus de Dominicis, Episcopus Brixianus.⁴ Circa idem tempus, Christum omnem patiendo profusum sangvinem in Resurrectione resumsisse Dominicani affirmabant, negabant Franciscani. Utinam Quæstionum si non prorsus similium, non tamen multò magis utilium expers fuisset & adhuc esset ætas nostra. Exemplum proferri possent, nisi odiosa essent, & in unâ non minùs quàm aliâ parte passim obvia. De Pontificiâ dubitat nemo. Inter Calvinianos qui appellantur &